

I. N. J.

DISPUTATIO TERTIA

DE

RELIGIONE ECLECTICA

SEU

PRUDENTUM,

Quam

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS NICOLAI
HARDTSCHMIDII,

S.S. Theol. D. & Prof. Publ. Celeberrimi, Ecclesiast.
& Cap. Thom. Canonici,

*Domini Patroni, Fautoris, atq; Præceptoris sui,
omni observantia, pietatis & amoris cultu
semper prosequendi.*


Publico Auditorum Examini

submittit

M. GEORGIUS CHRISTIANUS RÜGER

Arg. SS. Theol. Cultor.

Ad diem 18^{to} 3^{to} Mens. Anno 1705. in Alma Univerf. Patriæ
horis locoque consuetis.



ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

diss. A

44

a. MDCCLVII. 44.

Nov. 7

V I R O S

*Magnificos, Nobilissimos, Amplissimos,
Prudentissimos atq; Spectatissimos*

DN. JOHANNEM Dieterich/ Collegii Tredecimv.
Assessorem Gravissimum, itemque Collegii Wilhelmitani
Præfectum Benignissimum.

DN. BERNHARDUM Wagner/ S.S.Th.D.& Prof.
Publ. Capituli Thom. Canonicum & Ecclesiastem, h. t.
Universitatis **RECTOREM MAGNIFICUM**, itemque Collegii
Wilhelm. **Inspectorem maximè Reverendum.**

DN. FRIDERICUM RICHARDUM Mochel/
Inclytæ hujus Reipubl. Ordinis Senatorii Assessorem
dignissimum, Patronum suum maximè colendum.

DN. JOHANNEM HENRICUM Kühnast/
Rei tributariæ Commentariensem fidelissimum, Fautorem
suum summoperè venerandum.

DN. JOHANNEM FRIDERICUM Rebhan/
Contractuum Actuarium, atque amicum suum omni
honoris genere prosequendum.

DN. JOHANNEM LUDOVICUM Gmlin/
Aurifabrum famâ celeberrimum, atque Benefactorem
suum æstumatissimum.

DN. JOHANNEM MICHAELEM Witter/
Aurifabrum atque cognatum suum summè colendum.

DNS suos Patronos,

Mecenates

atq;

Evergetas

Omni honoris cultu prosequendos

Inscriptione hujus Disputationis Theologicæ

submissæ venerari

voluit debuit

RESPONDENS.



VIR NOBILISSIME.



Amplitudinis TUÆ No-
mini pagellas hæc Academicas
consecrare audeo jussus ab officii
mei ratione, quæ obstrictissimum
me tenet, pro tot benevolentissi-
mi in me affectus argumentis,
tantisque amoris pignoribus, pietatis declarare
memoris arrham: Ut omittam arctissimum, quo
ornor, consanguinitatis vinculum, jamdudum
stimulum subdens TANTO PATRUO digna
proferre. Verum cum fors meis exemerit viri-
bus, pro tanto in me collatæ benevolentia cumu-
lo, gratitudinis *τεκμηρία*, digna referre; deprehendi
neutiquam de compensatione, sed tantum de
edenda aliquali gratæ mentis significatione mihi
cogitandum esse. TIBI itaque VIR EXCEL-
LENTISSIME Disputationem hanc inscribo,
non ut tanquam sufficiens redhostimentum tan-
ti Patrocinii æstimari debeat, sed Observantiæ
saltem ac gratissimi animi testimonium, & inde
quidem Nomine Tuo dignissimum, quod à Clie-
nte, quem Favore Tuo prosequeris, nepoteque of-
feratur. Excipe igitur serena fronte hoc quan-
tulum.

tulumcunque, si non omni ære perennius omni
tamen ære sincerius, gratitudinis munusculum;
Annue conatibus meis vel in eo saltem laudan-
dis, quod in optimæ voluntatis tesseram litati fue-
rint. Quod si mihi concessum fuerit, & studium
hoc meum TIBI non injucundum acciderit, tum
demum uberrimum me ausuum fructum conse-
cutum esse arbitrabor; Nec non DEUM T.O.M.
calidissimis occupabo precibus, ut Res T U A S ita
gubernet, quò cœlestem Prudentiam prudentissi-
mis consiliis (quæ non solum Patria, sed & Patriæ
PATER SERENISSIMUS PRINCEPS, tanquam
animi TUI digna magnitudine suspiciunt) adspi-
rantem sentias. Frui TE, PATRUE ÆSTU-
MATISSIME, Supremum Numen jubeat diutur-
na tranquillitate, vita longæva, valetudine vegeta,
prosperitate denique omni; ita felix appropin-
quantis anni auspiciam precatus, beneficia TUA
immortali memoria sum veneraturus

NOBILITATIS TUÆ

*ad obsequia devotissimus
cultor*

JACOBUS FRIDERICUS Mealer/
S.S. Theologiæ Cultor.

IN rebus fidei ratio quod dicat agitque,
Non opus est fidei, non est *Prudentia vera*;
Sed coram Domino potius *stultitia cæca*,
Quæ fatuas hominum mentes deducit ad Orcum.
Ergo dum impugnas *Prudentum Religionem*,
Quam mundus, mundi que Deus nunc suggerit ipsis;
Te verè ostendis *prudenteris nomine dignum*.
Det Deus ut solus *Tibi sit sapientia Christus*;
Nunquam damna dabit *Tibi sic prudentia carnis*;

Prestantissimo DN. RESPONDENTI

& à pluribus annis auditori
suo industrio & dilecto

Votum hoc gratulabundus

p.

Disputationis PRÆSES.



Ω θνητοὶ σρεβλῶς φρόνιμοι, φρεσδεῆς τε πονήρωσ,
Ἄφρονος ἐκ σοφίας πινὰ ἀδὲς ἐκγεγαῖαν
Θρησκείαν πανολέθερον ἐξαιρέμενοι ὑμῖν,

Ἐκλογὴ ἢ μακάρων ἔχ ὑμέτερος ἔσεται, αὐτῶ
Τιμῶντες βλαβερόν. Μορλιὸν δὲ ἐκλέξαιτ' αἰεὶσαν
Τῶ ἀναφάρετον, ματιμῶφρον ἔεργετε θυμῖν.

Ὅντως ΜΑΛΗΡΟΣ ἀφλέξας θ εἶα διδάσκεις,
Δοίγια φαυλίζων σοφὰ κῶσμε μαινομῆμοιο.

Τένεκεν δὲ φημῶσ συχαίρω, φίλταθ' ἐπιῶρε,

Εὐχομαι δὲ τυχίαν τοι αἰεὶ, καὶ ἄξια κῦδη

Πάμπαν ὀπηδήσont' ἀρετῆ, ἰδρῶ τε πονῶσι.



Pralia Cælitibus referunt illata Gigantum
Docta Poëtarum commenta; docentia sæcli
Corrupti ingenii, contemnentisq; Deorum

SACRI-

*Sacrilegos mores, hominum pietate jacente.
 Athea sacra eadem nobis translata videntur:
 Tartara progenies impuro emittitur Orco,
 Gorgones, Harpyie, Briareus, Scyllaeaq; monstra,
 Grata supernè equidem, sed dira corpore forma.
 Ex hominum coitu ac Erebi prognata putares.
 His pagana piis, divinis infera mixta,
 Consona temperies Christi Baalisq; paratur,
 Luminis ac umbra; licet his concordia non sit.
 O male prudentes, quibus hoc prudentia habetur!
 O lethale & triste Chaos! Quis talia fando
 Temperet à lachrymis? Stygias Malere cohortes
 Non dubita'n varias adoriri? nulla Chymera
 Te formido tenet? Bene, pugna, fortiter insta,
 Adpropera; virtus Tua Te vocat, i pede fausto.
 Rem prudenter obi, succis, ut laude fruaris.*

ἀναρχ.
ὄνομα.


Συγγενεῖ, πατερῶν, ἔ φιλῶ
 Sic intimum affectum
 testatur

Joh. Conradus Pfeffelius,

Solt ich mein Bruder-Herz in Worten dir bezeugen/
 So müßten tausend Wunsch der treue Redner seyn.
 Doch diß ist Eitelkeit: Ich zeige auch mit Schweigen/
 Daß uns ein Bruder-Band in rechter Lieb verein.
 Weil aber jetzt dein Ruhm in frohem Zuruff klinget/
 So sag/ wie zeigt hieben mein Bruder-Herze sich?
 Ich glaub/ daß selbes dir ein gnugsams Zeugnis bringet/
 Wann meine Seele rufft: Ich wünsche Brüderlich.

Dieses wolte seinem geliebten Bruder
 gratulirend beysetzen

Johann Wilhelm Maler/
 Art. Chirurg. C.



CAPUT I.

§. I.

HOc capite de *libertate in rebus fidei* agit Autor, & ita quidem, ut *per accidens* tantum de Religione Prudentum quædam admixta dicat sub finem cap. p. 11. Verum uti putamus, quo nonnullas hypothesen ac fundamenta substerneret *Religioni suæ Eclecticæ*, sed ut apparebit frustra. Initio quidem generalem thesin statim proponit, *maximam esse tyrannidem, si quis alicui libertatem in rebus religionis & fidei præcidere velit*: Et hoc quidem si intelligatur de *actibus fidei internis, qui intellectum & voluntatem spectant*, certum omninò est: aliud tamen sentiendum si de *actibus loco motivæ externæ* sermo sit, ut ire in templum &c. nam hos cogi posse, nec quenquam negasse, mihi quidem constat. An autem debeant alia quæstio est, de qua b. Gerhard. T.6. L.Th. de Magistratu Pol. §.200. p.m. 855. Optandum ut una VERA religio ubique vigeat &c. &c. Et illud quidem, neminem cogi posse *ut credat aut non credat*, non negamus, cum sermo est de mediis violentis, & coactione externa; quanquam per argumenta præsertim divina in verbo contenta, aliquis utique *convinci* possit ut credat, vel credat hoc & non illud. Neque opus est hic multis exemplis collectis à b. Gerhard. T.6. de M. Pol. §. 198. p. 847. ubi insigne allegatur dictum, dignum omnino quod hic adscribatur, Maximiliani II. Imperat. in Literis ad Lazarum Schvvendium: *Es ist in der Wahrheit nicht anders/ als ihr vernunftiglich schreibet/ daß Religions Sachen nicht wollen mit dem Schwerdt gehandelt und gerichtet werden.* Ubi etiam reliquæ rationes adduntur, quod solus DEUS conscientia Dominus sit, adeoque diversum in religione sentientes cogi non possint, si quiete in Republica vivant. Hæc inquam in thesi h.m. intellecta bene se habent: At quod hæc ita applicat ut dicat, *Es werden die Glaubigen von der Wahrheit desjenigen/ welches in der Heiligen Schrift zu ihrer Seligkeit nöthig enthalten ist/ durch eine innerliche $\omega\nu\nu\alpha\phi\omega\epsilon\iota\alpha\nu$ versichert werden*: si internam illam intelli-

E 2

gat

CAP. I.

§. I.

gat certitudinem immediate inspiratam, non per ipsum verbum, fallit & fallitur, nec in locis allegatis fundamentum ullum habet. Si vero talem certitudinem & *πληροφορίαν* intellectam vult, quam Spiritus S. mediante verbo suo, tanquam organo & medio operatur, benè quidem res se habet; sed sic neque thesis ipsa initio generalis posita, neque hoc ipsum assertum de *πληροφορία* & certitudine fidei ex verbo DEI per Spiritum S. accensa & excitata, probat ulla ratione, ipsos pastores non esse adigendos ad Confessiones, Symbola & Catechismos, vel ut Autoris verba habent: **Und kann ich auß dieser Ursach nicht billigen die Gewonheit derer jenigen/ welche die Prediger auff gewisse Confessiones, Glaubens-Bekanntnisse/ Symbola, Catechismos und dergleichen zu schwören/ zwingen/ ehe sie dieselbe zu einigen Nemptern befördern.**

§. 2.

§. 2.

Ut enim alia taceam hanc sequelam nemo agnoverit; *Religio quoad actus internos credendi non potest, aut debet cogi, E. Pastor aliquis antequam officio admoveatur non debet adigi ad certum Symbolum & confessionem: certe homo cui liberum est, ad hanc vel illam civitatem sese conferendi, non potest saltem de jure cogi, ut ad hanc se conferat, ideo quia liber est; E. postquam ad hanc vel illam sese contulit, non potest cogi, ut ad hujus vel illius civitatis leges & præscripta vitam moreque suos componat? absolum. Sed apparet hac ratione, quam hac ipsa libertate credendi, authores fidem omnem indifferentem faciant. Neque alterum, stringit fortius Spiritus S. per verbum operatur internam fidei *πληροφορίαν*, ut certus sim de creditu necessariis in Scriptura sacra contentis E. Pastor non debet adstringi ad certam fidei confessionem priusquam admoveatur officio publico: perinde enim est ac si dicas, Cartesii vel Aristotelis principia flectunt intellectum hominis ad assensum, E. non est doctor publicus adstringendus ad principia Aristotelis, vel Cartesii, ubi hic vel ille receptus est. Certe si Spiritus S. *πληροφορίαν* illam operatur, utique pastor officio præficiendus illam ex verbo haurire potest & debet, & quia ex verbo*

bo

ho illam habere potest ac debet, jure adstringitur ad talem confessionem fidei, de qua *ωπνοφορῖαν* habet ex verbo DEI, illam veram esse. Quod vero *coactionem* autor dicit esse, quod officium vel vitandum, vel in confessionem jurandum, vanum est; nec illa coactio, de qua initio cap. autor locutus fuerat, à qua studio deflectere illum, suspicio haud immerito esse potest; ut suo instituto vocum ambiguitate serviret. Nec constantiam Christiano dignam, sed vertumno politico spirant sequentia: Es ist eben dieses der Zwang: denn wofern einer ehrlich sich in der Welt durchbringen wil / muß er wol dergleichen Symbola approbiren / er sey gleich heimlich mit demselben einig oder nicht / und ist dieser Zwang mehr als zu hart (daß man durch den Zwang nicht eben einen Zwang mit der Folter verstehen muß) in dem mancher / eine ehrliche Erhaltung für sich zu erlangen / wol ein mehrers gewaget. Ita scilicet religio temperanda est, ut in mundo honeste sc. vivas; hoc est Symbolum eorum quorum DEUS venter est, quique scandalum crucis Christi horrent & averfantur; & quis cogit talem approbare confessionem, cui in animo non consentit? sufficiens ne est medium persuadendi commodum hujus vitæ, an ne hæc coactio dura est? talis certe homo nec Christiano nomine dignus est, qui conscientia suæ in rebus fidei, commoda mundana præponit; sed huc scil. ducit & tendit religio illa Eclectica. Multos sæpe majora ausos spe lucri aut commodi mundani, non nego, hos autem recte fecisse, nullus asseret, nisi forte cui animo sederit diabolicum illud Machiavelli, *Religionem colito, non habeto.*

§. 3.

Neque cætera melioris sunt notæ, Es wird dieses einettt die Freyheit benehmen nach geschehener endlicher Genehmhaltung / andere Sâs / von welchen man ex post facto besser informiret worden / zu wehlen. Hoc enim effugium vanum est; aut enim confessio est verbo DEI congrua, sic libertatis illius usus nullus est; aut falsa, & sic in conscientia non teneatur servare, id quod contra fidem verbi divini, juravit.

E 3

Quod

§. 3.

Quod hac ratione scrupulum conscientiis injectum iri veretur, tam vanus est metus, ut nec metus speciem habeat. Objectum exemplum de Capitulat. Imperat. ego quidem Auctori non objicio jam, quod autem in applicatione scribit, die Symbola sind solche conditiones, welche die libertatem in der heiligen Schrift zu forschen/ und die articulos confessionis istius zu prüffen benehmen etc. malam auctoris causam prodit, quod supponit, eum, qui ad confessionem aliquam adstringitur, eam ante non legisse, aut examinasse, secumque perpenderit an sit veritati divinæ congrua; quo casu temerarium & imprudentem hominem dicimus, qui tam levi animo juret de eo quod nescit: Si quis vero id ex verbo DEI verum esse recte cognoverit per *πνευμαφορίαν* à Spiritu S. ex verbo inspiratam, impossibilis casus est, ut deinceps hoc quod ita verum esse cognovit, falsum deprehendat. Neque hoc est sub humanam auctoritatem cogere homines, siquidem symbola ejusmodi nihil aliud sunt, quam norma quædam analogica & improprie dicta b. D. Dannh. Myster. Syncret. p. 49. *Ob multa que habent similia cum norma proprie dicta, habent auctoritatem, à veritate cœlesti dependentem, quam profitentur, ac suo modo dispensabilem. 2. Sunt norma non fidei, sed confessorum, qui Symbolo quasi ex compromisso subscripserunt. v. l. c. p. 157. sq.*

§. 4.

§. 4.

Ut vero obtineat autor quod de Symbolis dixerat, occurrit objectioni sub finem p. 4. quod Symbola juxta Scripturam formata; concludit autem: Weil sich alle Symbola hierauff beruffen/ welche doch sehr differiren/ ist es nicht wol möglich; es wäre auch viel sicherer daß alsdann die heilige Schrift selber/ und nicht die Symbola oder dergleichen Bücher beschworen würden. Ubi id quidem dicimus esse simpliciter impossibile, tot Symbola ab aliis proposita quæque in contradictione versantur, esse vera simul & cum Scriptura convenire; non tamen inde sequitur E. nullum propterea Symbolum vel scribendum, vel subscribendum ulli, sed soli Scripturæ: sed hoc inde recte sequitur, ergo Symbolum juxta
Scriptu-

Scripturam examinandum antequam ei subscribas. Deinde si circa Scripturæ sensum convenirent omnes, Symbolis non opus foret simpliciter, tamen ad hoc, ut quæ in universa Scriptura sparsim continentur, in brevi compendio exhibita cernantur; quo sine vel Apostoli, vel Apostolici viri, Symbolum quod Apostolorum dicitur, concinnasse videntur, quod non impedit libertatem indagandæ veritatis, sed incitat potius ad illam. Si qui de Symbolorum suorum veritate falsò gloriantur, id non est Symbolorum omnium, sed hominum. Proinde nec hoc obstat, quo minus omnia probanda 1. Thess. 5, 21. de quo supra. Sed nec obstat quo minus Symbola examinentur, & examinata approbentur, vel reprobentur; illis subscribatur, sine ullo impedimento libertatis in rebus credendis, in Scriptura sacra concessæ, aut commendatæ.

§. 5.

Quod ait, id esse accipiendum, quod juxta Scripturam sacram approbatum eiq; conforme deprehenditur, bene se habet, quod vero addit, nulli se religioni ita adstrictum, ut non ex quavis religione quasdam theses tantum eligat; supponit nullam religionem in credendis omnino puram, sed falso supponit, non probat. Id vero pejus est, quod dicit Paulum non prohibuisse in Epist. ad Thessal. quo minus & Ethnica, & Judaica & Samaritana religio probarentur, daß aber seine Glaubige nichts von diesen Religionen wehleten/ wäre nicht die Ursach/ daß ihnen Paulus solches verbotten/ sondern weil kein einziger punct auß diesen Religionen in der vorhergehenden Prüffung bestund. Annon enim, quia Paulus prohibuit non esse idem jugum cum infidelibus ducendum, vel ex hoc Apostoli præcepto solo, nihil de aliis religionibus poterant amplecti? nisi forte & Apostoli reliquorumque *ἑτεροθυσω* scripta examinanda dicere velis, ut si velis, vel nolis ista admittere possis, vel non quemadmodum & Symbola ab aliis hominibus conscripta. Et quamvis non sit prohibitum examinare vanitatem religionis Ethnicæ, id tamen homini Christiano fideli necessarium non est, cum verbum DEI ipsi sufficiat & sufficere debeat. Atque

§. 5.

que

que sic quod Christianus ex Gentilismo nihil eligit, utique est ex vitio objecti ipsius, ex quo & mandato DEI in hoc casu negatur libertas eligendi; cui quidem non obstat necessitas quaedam physica & coactionis; sed moralis & obligationis, quod DEUS ista prohibuit, quod ipsum tamen nec libertatem examinis tollit, sed negat electionem mali; nec probat Symbola abroganda, aut illa obstare libertati in Scriptura concessa, quam non obstat libertati hominis in Republica viventis, certis legibus & statutis alligatum esse. Quo ipso tamen omnia sine examine approbanda esse cæco impetu *Blindlings/* non probatur, neque è contra si Symbolis subscribendum, sub tyrannidem homines cogi, sequitur, *daß sie sich dem Joch der Clerisy unterwerffen/* uti Sincerus ab arbore loquitur. Nec obstat & Concilia & Symbola errare posse & errasse actu; hoc enim quemadmodum docet omnia esse probanda, & quod bonum tenendum, & fidem primo & originaliter non esse alligatam Conciliis, Confessionibus, Symbolis; ita nihilominus non persuadet non esse Symbola proponenda, quibus subscribas, ut de Confessione & Fide tua aliis constet, præsertim si alicui cœtui te adjungas: nisi & inde velis concludere, simulationem, aut dissimulationem in religionis negotio licitam, aut nulli te cœtui velis adjungere, cum nullus sit purus; quæ libertas Atheismum vel Libertinismum, vel Donatismum inducere possit. Neque ex hoc præjudicio Symbolis inhærendum, quod à pluribus, aut sapientioribus scripta, ut p. 7. scribit, sed quod Scripturæ conformia, ad quam probanda; sed ita ut deinde teneas & firmiter ipsis inhæreas, nec semper fluctues, usque ad finem vitæ incertus; cui *ἀντιπροφασία* fidei repugnat, quæ certa *ἠνωσισίον* Verbi DEI innixa, immota perstat & acquiescit.

§. 6.

§. 6.

Jam verò paulò apertius se prodit Autor p. 7. & Eclogarium suum Syncretismum producit, quando à libertate philosophandi, ad libertatem in religione, eligendi quidvis, argumentatur; *Ja da man in andern Wissenschaften/ als in der*

der

der Philosophie, ein electionem dulcet/ warum wolte man in Religions Sachen/ die vielmehr zu sagen haben/ jemand seine Freyheit abschneiden &c. Quo argumento autorem sibi mire placuisse; ex sincero de arbore constat ejusque verbis sequentibus: Um Vergebung sprach Mons. Præstaras, Ich habe diesen Tractat auch gesehen/ wiewol ich nicht begreifen kan/ warum die dritte species dieser Religion/ daß man nemlich auß allen Religionen heraus suchet/ was einem jeden gefällt/ vorstraffbar geachtet wird/ man hält ja heutiges Tages dafür/ daß die Philosophi Eclectici, welche auß der Philosophia Aristotelica, Stoica, Cartesiana, und andern das beste heraus nehmen/ die bestensyen; Eben also solt ich raisoniren/ solte es in Religions Sachen auch gehen &c. &c. Hæc verè est religio philosophica, de qua b. Kromayer. Loc. AntiSyncret. tum in præloquio p. 4. sq. tum in ipso libro p. 314. sq. Vocatur Religio Philosophica, propter libertatem, ut videtur, ab obligatione ad credendum, prout Philosophus autoritate nullius tenetur, secundum dictum: Liber homo philosophus, nullius addictus jurare in verba Magistri, cujus intellectus non debet esse mancipium aliena libidinis, ἀμφοῖν ὄντων φίλων, ὅσων ἀληθειᾶν πλὴ ἀληθείαν, i. e. amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas, sive vera sit, sive apparens, inquit Aristoteles l. I. Eth. Nicom. c. 4. Vel etiam quod Philosophi religionis hoc genus præprimis fuerint amplexi. B. Hülsem. in disput. de Justif. contra H. Grotium νεῖον ipsius Grammaticam perstringens, false inquit: Fallor ego? aut hæc erit decantata ista Religio PRUDENTIUM, in homine suo Politico: quidam in hæc verba erumpit: neque quod principio notandum, uni religioni te mancipare ita convenit, ut ei tenaciter adhareas, sed ut in omnibus eam simulare, dissimulareque (sicut temporis & loci necessitas ex utilitate tua voluerit) citra levitatis notam discas. --- de quibusdam referunt, quod annuas habuerint religiones & cum Calendario quotannis religionem suam mutaverint. Hactenus b. D. Kromayerus B. D. Bebelius noster in MSC. speciem Syncretismi temperativam, Eclogariam dicit, quando ex tribus istis religionibus sibi quis eligit, quod optimum videtur, ceteris neglectis --- Talis erat Interimisticus Syncretismus. Patet ex his re-

F
ligionem

ligionem hanc prudentum eclecticam, revera Syncretismum esse eclogarium jam olim confutatum, nec inventum novum. conf. b. Dannh. Myster. Syncret. det. & prosc. p. 68. §. 33. cum vero in præced. disput. jam dictum aliquid sit, de hoc argumento, illis nonnulla hic addemus.

§. 7.

§. 7.

Diximus aliquoties examen credendorum, quæ in libris Symbolicis proponuntur, nemini esse prohibitum juxta Scripturæ sacræ ex ductum 1. Thess. 5. propositum. Sed *eclecticam religionem ex philosophia eclectica, probari non posse, jam ulterius demonstrabimus*, quod summa sit utriusque disparitas, quoad hoc ipsum. Primo enim ad Philosophiam nullus homo obligatur, eaque sine periculo vel vitæ, vel salutis negligi potest: at vero ad credendum unicuique incumbit necessitas & obligatio ex mandato DEI & mediorum salutis necessitate. Deinde licet sine dispendio salutis esse alicui Aristotelico, Stoico, Cartesiano; at non sine salutis dispendio licet alicui esse vel Christiano, vel non Christiano; vel inter Christianos huic vel illi religioni addicto, quæ in fundamento inter se dissentiant. Porro, quacunque via incesseris poteris philosophicam veritatem assequi (ex ipsa opinione philosophorum;) at non item cuicumque religioni te addixeris; cum in philosophia viæ sint variæ, in Theologia unica tantum Scripturæ scil. sacræ, cujus nucleus Christus est via & veritas Joh. 14. v. 6. Sic ut nemo veniat ad patrem nisi per hunc Joh. 1. c. Proinde ab indifferentismo philosophico ad indifferentismum Theologicum nequaquam valet consequentia, contra rixosum Eric. Fridlib. de Indifferent. Accedit quod libertas examinandi propositos fidei articulos, non parit illam indifferentiam & electionem hujus vel illius; sed ad alterutrum homo obligatur ex mandato divino; ut videatur Autor confundere libertatem intrinsecam & indifferentiam voluntatis, qua homo potest hoc vel illud eligere; & libertatem ab obligatione quâ liceat quidvis credere; illam quoad philosophiam, tum quoad Theologiam homini

com-

competit, non autem hæc vi divini mandati obligantis etiam conscientias, ut credendi libertas ab obligatione nulla sit. Hinc nihil efficiunt, quæ dictus Autor p. 8. addit, quod sicut ratio in philosophia norma est, ita in Theologia Scriptura sacra: hoc enim nemo nostratum negat, quamvis non ita videatur eclecticis omnibus, nec forte autori ipsi, qui Scripturam in credendis cum ratione convenire debere, quantum possibile, contendit. Nec probat, quod subjicit, ex diversis interpretationibus Scripturæ sacræ dissensum in religione ortum; multo minus illud verum est, quod interpretatio hæc, vel illa, merè (bloß) autoritate alicujus eruditi nitatur, si de interpretatione vera ad mentem Spiritus S. sermo sit. Si autem de falsa loquatur, falsam exinde religionem sequi necesse est; quam eligere, nulli concessum; adeo ut & in multis negatio, in multis etiam ignorantia damnum saluti inferat, quod de Philosophia dici nequit; ac proinde, non est eligendum id quod alicui videtur accipiendum; *Daß er nach seinem Gefallen diejenige so ihm am annehmlichsten scheint/ erwehle; und so am convenientesten zu seyn scheint.*

§. 8.

Quod porro ad rei confirmationem addit; in Scriptura sacra est veritas divina, & quodvis dictum, quatenus clarum est, & nullius interpretationis indigum, secundum sensum literalem accipiendum, quatenus autem varias admittit explicationes, illam amplectendam, quæ convenientissima videtur, à statu quæstionis prorsus alienum est, sive studio, sive ex negligentia allatum. Dictum namque superius est, circa libertatem credendi non esse de quibuscunque quæstionibus sermonem, sed de fundamentalibus articulis qui constituunt certam religionem; unde necesse est, autorem vel supponere, vel statuere, in iis quæ ad fundamentum fidei pertinent Scripturam non ita claram esse, ut explicatione opus non sit; vel dissensum non esse inter religiones fundamentalem, quod utrumque falsissimum est; vel sibi esse sermonem de iis quæ fidei salutisque fundamentum non concernunt, & sic à statu

§. 8.

tu controversiæ aberrat, nihilque inde probat pro peculiari religione prudentum, nec pro libertate eligendi in rebus credendis, quicquid libuerit. Atque hinc etiam patet argumentum à minori ad majus non esse, quandoquidem quoad hoc tertium electionis, nec Philosophia cum Theologia, nec philosophiæ placita, cum credendis fidei articulis conferri possunt.

§. 9.

§. 9.

Aliud jam est, quod religioni huic philosophicæ & Syncretismo Eclogario impedimentum objicitur p. 9. quodque autor conatur remove, scilicet, *quemadmodum in Republ. bene constituta non aliud jus eligere licet, quam quod receptum est: ita nec ex Arminianismo, Socinismo &c. licere eligere religionem, quæ summa est argumenti usque ad finem capitis, quod variis responsionibus eludere conatur. Scilicet prescribere leges esse, in principis potestate, res religionis DEI esse, qui solus possit conscientis dominari. Sed responsio ad hæc non est difficilis, ut objectio nihilominus valida sit. Nam fatemur leges prescribere, in principis esse potestate, res religionis soli DEO subjectas; sed contra autorem invertimus; scilicet quemadmodum est in potestate principis leges condere, quibus subditus adstrictus sit, ut liberum non sit eligere quamcunque velis legem servandam, si quidem principis subditus esse velis: ita & cum DEUS noster, sit Dominus noster, cui in conscientiam potestas est summa, non licebit eligere religionem, quamcunque volueris, sed quisquis subditus, regni h. e. Ecclesiæ DEI esse cupit, tenetur ad eas leges, quas DEUS circa religionem sanxit, omnesque homines ad illas voluit esse adstrictos. Nec hoc quidem dixerim, quod DEUS voluntati vim faciat, aut conscientias cogat, non tamen liberum relinquit credendi quidvis. Qua obligatione divina stante apud omnes homines relinquitur homini sua libertas, quæ à coactione & necessitate physica & violentia immunis est voluntas; non tamen libera ab obligatione, jure & mandato divino, jam vero ab illâ ad hanc concludere, tam est ineptum, ac si quis velit dicere: est hominis*

minis

minis libertas intrinsece & in genere soluta nec determinata five physicè, five hyperphysicè ad bonum aut malum, E. homini ratione juris & obligationis liberum est, eligere bonum vel malum. Illud enim naturæ rationalis est, hoc vero ab autoritate superioris DEI scil. pendet, qui lege sua obligat hominem omnem, ut libertatem indifferentiæ, non ad malum, sed ad bonum tantum adhibeat.

§. 10.

Quod porro obvertit, in Saxoniam v.g. jus Saxonicum solum receptum, in Imperio autem religiones omnes tres, adeoque liberum esse unam ex tribus eligere, vel ex singulis istis quasdam theses, id plura continet, quæ absque explicatione dimitti non possunt. Primo enim, quod ait; es seyen im Friedensschluß alle drey Haupt-Religionen gebilliget/ etc. und da jede von diesen dreyen in totum gebilliget. Ego sane nescio, an omnes tres religiones in totum approbatæ sint; si id sit, necesse est, ut statuas in fundamento tres religiones non dissentire, secus enim si fuerit, esse non potest in totum approbatas religiones in contradictorio ratione fundamenti positas. Si vero in fundamento consentiant, & hac ratione in pace religionis approbatæ sunt, certe is, qui ex omnibus aliquid eligat, & sic neutram in omnibus probet, cum tamen in pace religionis in totum approbatæ sint, aliquam recipiet religionem, quæ probata non est; & contra pacem religionis non approbat in totum tres religiones, die drey Haupt-Religionen quæ tamen approbatæ sunt in pace religionis; atque sic necessario quarta hæc religio pace religionis non comprehensa, non erit libera in Imperio Romano, in quo tribus tantum libertas concessa, à quibus quarta hæc prudentum eclectica diversa prorsus est, quatenus non probat ea, quæ in illis in totum approbatæ sunt; unde hæc ratio à comparatis autoris sententiam non juvat. Deinde vero si quid exinde velis elicere, aliud nihil extorquebis; quam libertatem hujus religionis in foro externo soli in his terris, non autem libertatem conscientie in foro soli & coram

F 3

DEO,

§. 10.

DEO, de qua nobis hoc loco tantum sermo est. Nec licebit colligere, illa externo in foro soli permessa est, E. & hæc in conscientia & coram DEO: siquidem constat, ut probatione nulla indigeat, permessa esse multa, quæ tamen ideo non statim justa sunt; quemadmodum in V. T. ob durum cervicem populi Judaici permixtus est repudii libellus, exinde tamen nequaquam justus coram DEO & in conscientia Matth. c. 19, 4, 8. unde patet nisi simile extendatur ultra tertium bene omnino concludere argumentum auctori objectum §. præced. vel si de libertate externa inter homines tantum sit sermo, à statu controversiæ deflecti quo juxta p. 8. de eo quæstio est, *quod coram DEO justum & licitum est*; an vero ex proposito huc deflexerit scriptio non dixerim, quod huc vero tandem devenerit, satis probant ea, quibus p. 11. huic argumento finem imponit; Dann wann die Wahl in juribus receptis frey gelassen/ so wird dieselbe auch in denen drey Haupt-Religionen tanquam receptis, nicht können verarget werden.

§. II.

§. II.

Et hæc quidem libertas credendi & religio eclogaria tantò minus potest probari, quantò majori cum periculo & falli specie, eâ nititur hypothese, *religiones niti tantum hominum auctoritate*; quam mentem esse auctoris nostri patet ex illis, quæ sub ficto nomine *Sinceri ab arbore* in denem freymüthigen Gedanken einiger Sudländer oder Severambes, scripsit in hunc modum; keines wegs antwortet Monsieur Præstaras; denn gesehet/ daß ein solcher/ welcher der religioni prudentum ergeben/ diese oder jene Sätze der einen Religion nicht approbiren kan/ so folgt nicht/ daß ob er schon diesem oder jenem Lehr-Satz nicht Beyfall gibt/ die ganze Religion darum solte vor falsch oder unwahr halten; daß man aber diesem oder jenem nicht assentiret/ solches ist keines wegs temerè oder verwegen gehandelt/ in dem NB. alle Religionen auff dieses oder jenes Manns auctorität beruhen &c. En quid monstri hæc alant? qualis est hæc religio eclectica & fides eclogaria? quæ putat, omnes religiones niti hujus vel illius hominis auctoritate,

te,

te, quo stante & eclectica nititur tantum hominis alicujus autoritate, & sic religio prorsus nulla erit. Non est enim religio DEI de credendis ad salutem, quæ hominis alicujus autoritate nititur, quippe cui nefas est in religionis rebus aliquid sua autoritate statuere, quod ad necessario credenda, aut facienda pertinet, de quibus hætenus inter nos quæstio fuit. Nec excusabitur, *Sincerus ab arbore*, si dixerit, illum loqui de hujus vel illius dicti interpretatione: sunt enim verba aperta, non tantum de his sermonem esse auctori, cum ait: *In dem alle Religionen auff dieses oder jenes Mannes autorität beruhen*: nec quævis diversa dicti explicatio, diversam facit religionem; nec quia hic vel ille ita diversimode explicant, religio nititur hujus vel illius hominis autoritate. Minimè vero omnium religio prudentum eclectica hoc se tuebitur fundamento, daß alle Religionen auff dieses oder jenes Mannes autorität beruhen: cum enim hoc fundamentum ruinosum esse, apertum sit; totum quod superstructum est, facile corruere, cuius patet.

§. 12.

Illustrari hæc egregiè possunt ex iis, quæ b. Dannhavverus scripsit *Myster. Syncret. det. & prof.* p. 66. §. 30. 31. *Fædum olet hypocrisis, quam laudat M. Anton. de dom. sup. sect. 1. p. 26. Absolutio Romæ ab hæresi ibid. p. 25. irrissio eorum, qui solius conscientie causa ab una ad aliam partem transfugiunt, cum possent commodè & citra periculum in quacunq; ex adversis Ecclesiis manere; ib. gaudium super symphonia in fundamento fidei Ecclesiarum, Occidentis in tres partes divulsarum; deniq; promotio Apostasie: si enim ad salutem nihil refert, sub papatu vivas, an sub Calvinismo, an Augustanæ Confessionis societate, licebit religionibus ut vestibus uti; ac si vel maxime defeceris a vera fide, nulla erit Apostasia, omnem defectionis maculam Syncretismi purpura cohonestabit. Quid restat ad à Jebrnæ. Opus prodit artificem, tela textorem. Is hic ratio est carnalis, bellatrici Theologiæ justo infensior, qua tanquam scopulo, nodo & mora publicæ securitatis in invidiam primum, post exilium ducta, struit Horatianum monstrum. Eadem serpentis antiqui, à quo nobis tam*

provide

§. 12.

providere cavit Apostolus 2. Cor. II. quæ Rheni nostri est Indoles; lit-
tori nunc ulteriori gravior incumbit, nunc ulterioiri addit demitve, nun-
quam accolis æquus: Ita versipellis ille spiritus in omnia extrema fer-
tur; cum polemica ardent, friget pietas; cum hæc incalescit ac ad
enthusiasmum inclinatur, illa proscribuntur. Nunquam tamen tam
male cum rebus humanis actum est, quin ex ungue leonem ex spuma
draconem, è vestigio feram indagare potuerint, ac discernere ve-
rum à confuso, divinum ab humano carnis invento, vigiles τὴ ἀληθείας
ἰψῶταί.

§. 13.

§. 13.

Mittam hoc caput, quo per accidens tantum aliquid di-
ctum est de religione prudentum (ut habent auctoris verba sub
finem cap. 1.) si ex ἀπόφωλοις tantum unicum de hac eclo-
garia religione iudicium apposuero. Praxis Orthodoxæ Fidei &c.
per P. Jacobum Masenium è S. J. Colonia Agripp. anno 1669.
cum permissu Superiorum, consideratione Extrayagante XVII. p. 161.
hæc habet: Politicorum hujus temporis scitum: quod quisq; in sua
fide salvari posse expenditur: considera I. possit ne tuto aliquis illi
persuasioni adherere, quam plures hoc tempore O. homines docti ac
Politici, sequuntur; quod in sua religione quisque salvari queat,
modo fundamentum fidei teneat, hoc est Christum Jesum pro nobis
peccatoribus redimendis natum passumque esse ac resurrexisse in vitam
æternam ut eodem fides perduceret. Etp. 167. postremo quis non vi-
deat hujusmodi politicos syncretizantes adversus rationem commu-
nem Scripturamque sacram ac DEUM ipsum pugnare. Cum enim
nationes integra se suasque Ecclesias à communione mutua, ob da-
mnatam invicem doctrinam separent, una salutiferaque ex eorum
sententia fides esse non potest. An igitur soli nostri Politici præ tot
populis sapiunt, & unam esse fidem Christi in necessariis ad salutem
volunt, quam videmus sentimusque male dissectam? Patet ex his
ut opinor, quam inanes culmos, etiam Masenii iudicio, ex-
cutiant, qui Syncretismi larvam vel sibi, vel aliis induere
conantur, ut sub opinione unionis & consensus fundamen-
talis, alios in partes suas facilius perducere queant.

CAP. II.

Coll. Miss. A. 47, misc. 44